

qui, ob calamitates bellicas euitandas, non tamen animo transferendi domicilium, alio commigrarunt et facta Pace in Patriam redire volunt, Religionis causa solum vertere, bona vendare et emigrare nullatenus cogantur, sed patienter tolerantur, conscientia libera domi deuotioni suae sine inquisitione aut turbatione priuatim vacare, in vicinia vero, ubi et quoties voluerint, publico Religionis exercitio interesse, vel liberos suos exteris Augustanae Confessionis scholis, aut priuatis domi Praeceptoribus instruendos committere non prohibeantur, sed eiusmodi Landsassii, Vasalli et Subditi in ceteris officium suum, cum debita erga suos Superiores reuerentia adimpleant, nullisque Turbationibus ansam praebeant. Ibid. p. 128.

§. XIV.

Sed praeter opinionem retraxere pedem in Proiecto m. Ian. Anni 1648. Euangelicis tradito, omisso plane integro hoc paragrapho; l. c. p. 156. attamen ad vltiorem horum instantiam res denique ita fuit composita, prout superius conceptis Instrumenti Pacis verbis retulimus. Neque vero quisquam existimet, haec otiose satis a me tam prolixè enarrari, et inseruire ea tantum implendae chartae; etenim, quantum ex Historia cum Legum Imperii nostri publicarum in vniuersum, tum huius etiam Legis pendeat, perspiciemus ex sequentibus.

§. XV.

Haecenus dicta si iam conuertamus in succum et sanguinem, apparet omnium primo, non a solis Iuris publici Doctoribus inuentam esse distinctionem inter Exercitium Religionis priuatum atque domesticum, sed in ipsis Imperii Legibus fundamentalibus radicatum deprehendi. Equidem videtur, quod Status Euangelici ab initio duas tantum constituerint cultus religiosi species, Exercitium puta publicum atque priuatum; (§. 4) cum vero Catholici iis subditis, qui neque pactis, neque obseruantia An-